

circa sufficientiam solius attritionis sine ullo actu amoris proprie dicti, claram et peremptoriam nullam adhuc aetate Alexandri VII exstisse; neque enim tunc permisisset utramque contradictoriam sententiam Pontifex, neque ad componendas lites opus esset ut aliquid hac super re Sancta Sedes definiret. Iniuriosus ergo esset in Alexandrum VII. ipsique contradiceret, qui contenderet sententiam de sufficientia purae attritionis contineri immediate et evidenter decreto ullo aut canone Concilii Tridentini. Id tamen non prohibet quin theologice arguendo ea ex verbis Concilii colligi rite possit et demonstrari, atque ita obtinere certitudinem theologiam.

V. Opportunum existimamus nosse hac super re sententias quoque haereticorum. Itaque Lutherus a) Sermone 2^o De Poenitentia haec habet: « Conditio (sic enim cepit vocari poenitentia interior) duplici via paratur. Primo per discussionem, collectionem, detestationem peccatorum, qua quis, ut dicunt, recogitat annos suos in amaritudine animae suae, ponderando peccatorum suorum gravitatem, damnum, foeditatem, multitudinem, deinde amissionem aeternae beatitudinis ac aeternae damnationis acquisitionem et alia, quae possunt tristitiam et dolorem excitare spe satisfaciendi per opera bona. *Haec autem contritio facit hypocritam, imo magis peccatorem; quia solum timore praecepti et dolore damni id facit. Et tales omnes indigne absolvuntur et communicantur.* Et si libere deberent (remoto praecepto et minis poenarum) confiteri, certe dicerent sibi non displicere eam vitam praeteritam, quam sic coguntur displicere confiteri: imo quo magis timore poenae et dolore damni sic conteruntur, eo magis peccant et afficiuntur suis peccatis, quae coguntur, non autem volunt odisse. Et haec est illa contritio, quam ipsi vocant extra caritatem non meritoriam; alii vocant attritionem proxime disponentem ad contritionem, sic enim ipsi opinantur; quam opinionem errorem ego iudico. Secunda paratur per intuitum et contemplationem speciosissimae iustitiae, qua quis in pulchritudine et specie iustitiae meditatus, in eam ardescit et rapitur incipitque cum Salomone fieri amator Sapientiae, cuius pulchritudinem viderat. Haec facit vere poenitentem; quia amore iustitiae id facit: et hi sunt digni absolutione ».

β) Et de Captivitate Babylonica, sub titulo de Sacramento Poenitentiae, ait: « Hi (catholici nempe) audaciores et peiores finxerunt quamdam attritionem, quae virtute clavium, quam ignorant, fieret contritio, eamque donant impiis et incredulis, ut sic universa contritio aboleretur. »

γ) Atque in assertione omnium articulorum damnatorum a Leone X. in assert. art. 7. Verissimum est proverbium, omni doctrina

de contritionibus hucusque data praestantius, quod dicitur: optima poenitentia nova vita; ait: « Ego defendo quod addidi, quo ostendi id proverbii cum Scriptura convenire, ubi Paulus Galat. VI. dicit: in Christo Iesu neque circumcisio, neque praeputium aliquid valet, sed nova creatura. Hanc sententiam debuerunt damnare, qua stabilivi proverbium, dum me voluerunt damnare. Plane enim hic Apostolus docet omnia vana esse, nisi simus nova creatura in Christo. At Poenitentia, quae sine amore iustitiae agitur, vetus adhuc est creatura, non plus valens, quam circumcisio aut praeputium.... Sis ergo certus, simul dum homo conteritur, simul et gratia infunditur et in medio terrore diligit iustitiam, si vere poenitet. Sin autem non simul diligit, non vere poenitet. » Et in assertione art. 6. dicit: « primum hoc nemo negabit contritionem quantumlibet magnam, nisi fiat amore iustitiae et, ut ipsimet dicunt, in caritate Dei, non est vera, sed simulata. »

δ) Et in assertione eiusdem articuli ait « contritio per peccatorum collectionem parata, sine amore Dei et iustitiae, hoc est, sine corde conterit, de hac enim locutus sum; quare necessario sequitur ut faciat hypocritam, qui nec volenter nec amanter conteritur in corde suo. Ego enim hypocritam aliter definire non possum, quam eum, qui quod facit, non ex animo et sincero corde facit. »

ε) In disputatione Lipsiae habita cum Ekio de Poenitentia, ait: « dico et ego habita caritate simul moveri hominem ad timorem Dei et sic incipi poenitentiam a timore in caritate. Alioquin stat firma sententia quod timor poenam habet, bonum non operatur, sed odit legem. »

ς) In sermone eodem de Poenitentia: « Impossibile est ut odias aliquid vero odio et perfecto, cuius contrarium non prius dilexeris. Amor semper est prior odio et odium natura et sponte fluit ex amore... Sic odium peccati et detestatio vitae praeteritae, nulla cura nullo labore quaesita veniunt sua sponte: alioquin perversissimo ordine et nunquam profuturo studio quaeritur amor iustitiae per odium peccati; imo machina desperationis et deiiciendi animi est talis perversitas. »

Tum Fischerus Episcopus et Martyr contra Assertiones Lutheri ad artic. 6. « Id tibi moris esse, Luthere, nec semel animadverti, quod cum duobus pluribusve modis res quaepiam obtineri queat, tu tamen unum ex illis mordicus tenens, damnatis reliquis, hoc solo contendas rem acquiri posse... Et nunc haud dissimiliter, cum contritio potest duobus parari modis, hoc est per timoris vel per amoris viam, tu, timore posthabito, solo vis amore contritionem a peccatoribus quaeri. » Et deinceps paulo infra: « At hoc silere non

possum, quod cum non ignores istos, adversus quos conflictaris, contritionem asserere motum quemdam esse animi formatum caritate, praeter quem et alium cordis motum statuunt caritatis expertem, quem vocant attritionem, tu tamen ut totam involvas disputationem, alteram cum altera confundis. Et neutram ais esse veram, sed simulatam, nisi fiat amore iustitiae in quo vehementer nostra cum tua pugnat opinio. »

Henricus VIII contra Lutherum in Assertionem septem sacramentorum, De Contritione, ait: « Primum indignatur (Lutherus) in contritione, et iram Dei vocat insustentabilem, quod attritioni fiat locus et credatur Deus in dolore non satis de se vehementi per Sacramentum supplere quod deest homini. »

Habes ex his sententiam Lutheri circa contritionem ex solo timore poenarum conceptam. 1) (α Enricus) Indigne absolvitur qui eam tantum habet. (Nota tamen haec verba fuisse ommissa a Leone X. in artic. 6. et a Conc. Trid. in Can. 5. Sess. XIV. cum cetera praecedentia recitata sint ex Sermone de Poenitentia, eorumque sententia damnata). 2) (γ. δ. ε.) Contritio ex solo timore poenae est actus malus, idque dupliciter, tum quia fit sine caritate, tum quia adiunctam habet voluntatem peccandi odiumque legis; ideoque facit hominem magis peccatorem et hypocritam. 3) (ζ) Non potest homo vere detestari peccatum, nisi propter amorem iustitiae, quam proinde prius diligere debet ex eaque concipere odium peccati.

VI. Non dissimilia habet Iansenius. Libro enim V. De Gratia Christi Salvatoris docet α) contritionem etiam imperfectam, quae attritio dicitur, debere esse cum amore Dei super omnia dilecti c. 34. (1): β) hanc esse doctrinam Concilii Tridentini Sess. XIV. cap. 4. definitio enim ibi tradita contritionis generice spectatae includit amorem Dei super omnia, sine quo nequit esse detestatio et propositum efficax ibid. γ) timorem poenae aeternae cohibere quidem ab actu externo peccati, non vero ab actu interiori, neque excludere voluntatem peccandi c. 30. 33. δ) Qui nudo timore poenae peccatum fugit, invitus et animo repugnante fugit, ideoque non fugit peccatum, sed aliud quippiam c. 29. ε) Timor etiam poenae aeternae oritur ex radice vitiosa amoris sui c. 24. ζ) Timor poenae ad opus ex isto timore factum non est ex gratia Christi; sed ex naturae viribus supposita fide c. 27. ζ) Timor gehennae sine caritate est inordinatus et malus c. 21. η) Timor tamen gehennae secundum se consideratus

(1) Sequimur enumerationem capitum huius libri, qualis exstat in duplici editione Lovanii et Rothomagi, secundum quam enumerationem caput duodecimum excipit vigesimum primum et ita porro.

est licitus, bonus et rectus; quia potest esse aliquis timor gehennae, qui nempe est cum caritate, qui sit bonus c. 21.

VII. Luterum et Iansenium secutus Quesnellius has de timore propositiones inter damnatas habet: 60. Si solus supplicii timor animat poenitentiam, quo haec est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem. 61. Timor non nisi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quandiu ab amore iustitiae non ducitur. 62. Qui a malo non abstinet nisi timore poenae, illud committit in corde suo et iam est reus coram Deo. 67. Timor servilis non sibi repraesentat Deum nisi ut Dominum durum, imperiosum, iniustum, intratabilem. Haec deinceps meminisse iuvabit.

VIII. Qui primam defendunt sententiam, quae aetate Alexandri VII. erat communior, vel saltem talis eidem Pontifici videbatur, ii excludunt quidem quemlibet actum amoris, seu nullum exigunt pro valore attritionis, sed non excludunt quidquid venire potest minus proprie sub nomine amoris. Loqui enim amant secundum scholam, cuius traditioni inhaerent. Porro iuxta Scholasticum loquendi morem, amor Dei est specialis actus distinctus ab actibus aliarum virtutum, sicut et caritas distincta est ab aliis virtutibus. Estque amor Dei actus, quo formaliter Deum diligimus propter suam bonitatem. Si quis vero nomine amoris vellet intelligere actum virtutis referibilem in Deum, vel quo voluntas in Deum tendit, is profecto et omnia confunderet et nullam haberet amplius litigandi rationem; quis enim ei negaret attritionem debere esse actum virtutis, cuius finis ultimus sit Deus?

IX. Itaque quaestio est utrum in Sacramento Poenitentiae sufficiat pura attritio, nempe sine ullo actu dilectionis proprie dictae.

Quamvis vero attritio duplici ex motivo concipi possit, nempe turpitudine peccati et timore poenarum; quod frequentius et acrius in quaestionem venire solet, est sufficientia attritionis conceptae ex metu, sive quia haec magis discedit a perfectione contritionis ex motivo caritatis, sive quia adversarii nequeunt satis distinguere inter motivum caritatis et motivum turpitudinis peccati. Si autem illius prioris attritionis sufficientia defenditur, iam et in tuto posita est altera attritio. Quare de ea potissimum disputabitur.

Quaestio est itaque utrum in Sacramento Poenitentiae sufficiat pura attritio, ex solo metu gehennae concepta. Qui negant, in duas dividuntur classes. Cum nos defendamus sententiam illam, quae, si aetate Alexandri VII. erat communior, modo certe non est minus communis, sufficientiam nimirum purae attritionis; impugnabimus primum sententiam secundam, quae amorem Dei propter se super omnia requirit, tum deinde reiiciemus tertiam.